

HEROS ROMANUS

VIRTUTE DUCE, GLORIA COMITE,

VICTRICI TRIUMPHALIS IN QUADRIGA.

S E U

D I V U S

JOANNES

ROMÆ ANTE PORTAM
LATINAM

Ferventis olei Martyr illæsus in Dolio ;

Panegyri celebratus,

Cum

INCLYTA FACULTAS THEOLOGICA

In Basilica S. Stephani Proto - Martyris

Annua[m] ejusdem memoriam solemniter recoleret ;

D E F E R E N T E

Admodum Reverendo, Eximio, ac Clarissimo Patre

M. PAULO WUTSCHNIG,

Ord. Erem. S. P. Augustini SS. Theologiæ

Doctore, ejusdemque in Moralibus Professore

Ordinario, Provinciæ Austriæ Provinciale emerito, &

Inclytæ Facultatis Theologiæ p. t.

DECANO SPECTABILI.

O R A T O R E

Rel. F. MATTHÆO DOLLES, ejusdem Ord. Erem.

S. P. Augustini SS. Theologiæ Auditore.

A N N O,

qVo Labante IMperII atLante Iosepho I. orbls

Latera DoLent.

SUB AUSPICIIS
REVERENDISSIMI,
PERILLUSTRIS
A C
AMPLISSIMI
DOMINI, DOMINI
MELCHIORIS

Sacri Celeberrimi ac Exempti
ORDINIS CISTERCIENSIIUM
Clarevallis Monasterii Zwethalensis ad
B. Virginem
ABBATIS VIGILANTISSIMI

Sac. Cæs. Majestatis
CONSILIARIUM,

Et
Incljtorum statuum Provincialium inferioris
Austriæ Selectioris Consilii Deputati
dignissimi

DOMINI, DOMINI
PATRONI
ET
MOECENATIS GRATIOSISSIMI.



REVERENDISSIME,
PERILLUSTRIS

AC

AMPLISSIME

DOMINE, DOMINE

MOECENAS ac PATRONE

GRATIOSISSIME.



IOANNEM, Heroem Romanum, virtute Duce, gloria comite victrici triumphalem in quadriga in bo-
dierno Theologicae Facultatis triumpho Tibi dedica-
tum sisto. Ne me putes humile quid aut vulgare ma-
gno nomini Tuo inscripsisse in oblata JOANNINAE
laudis periphrafi: tantum est solum Nomen JOAN-
NIS, ut vel jugi cogitatione conceptum, ipsum Deum-
Hominem in amorem rapuerit, alios in venerationem, plurimos in ad-
mirationem. Meruit Hic amoris Discipulus audire ad crucem, &
à Christo meruit audire, JOANNEM esse Christum, ut duos jam habea-
mus Christos, unum JOANNEM. Neque irrideas commentum,
Præsul Reverendissime, si qua mihi vox exciderit amoris potius, quàm
temeritatis plena: cum enim Christus JOANNEM absorpserit, atque
JOANNES Christum exhauferit, & hic illius, & ille hujus voluntatum
conjunctione alter idem meritò potuerit atque debuerit appellari. Hunc-
que tanti prodigii Apostolum, Martyrem, Heroem laureatum, Princi-
pem Theologum oratione contextum Tibi defero, dedicoque. Licet ergò
labor meus, & exile ingenium nunquam in tantum assurgere potuisset,
quia tamen magno nomini JOANNIS innititur, Tibi non displicere, po-
tuissem mihi persuadere. Né mirare igitur, quòd ab obscura eremo mea
Augustiniana ad Vallem Tuam Clarissimam aspiraverim. En, quàm
benè conveniunt, & in una sede morantur Augustinus in eremo, &
Robertus in valle. Assurrexit ille ab eremo vox clamantis in deserto,
qui, etsi interrogatus etiam nec Christum, nec Eliam, nec Jeremiam,
aut unum ex Prophetis se diceret, talis tamen ab orbe toto plausibili late-
rum contentione audit: Hic è clara Valle prodiit, nescio, an Propheta

*similis, an quocunque major, in qua Antiquissimum Cisterciensium Ordinem fundavit, quem dein Mellissius ejusdem Doctor Bernardus toti mundo dedit celeberrimum, veluti sol ab imo surgens se effert, ut totum in circuitu orbem metiatur. Nervosis facundam calamistris floridi cujusdam Oratoris linguam si quis aptaret mihi, & placidi temporis subsidium faveret simul, adhuc non credam, Ordinis hujus famosissimos viros pro condigno me posse adornare, quos vel supremos Christi in terris Vicarios augusto in throno adoravit Roma, vel sacrâ purpura elevatos prælucentes Ecclesia faces venerabunda intuebatur, vel Archi-Episcopali mitra redimitos exquisita fidei ornamenta, Hæresiarcharum eradicatorum aurea instrumenta præferbat. Angelicam ejusdem societatem, Apostolicum Zelum, sanctitatis famam, quis verbis æquabit? * Aptè & concinnè elocutus est ille, qui Ordinem hunc jam dudum Paradisum prædicavit, ubi non desunt Martyrum rosæ, Confessorum & Virginum lilia, ubi Angelorum Hierarchiæ in melos Dei diu noctûque cælesti harmonia vigilant. Sin ita, Te Præsul Reverendissime in hoc exculto Ordinis tui Paradiso florem pulcherrimum seu rosam veneror, cujus virtutum folia late verecundantur, altissima humilitas, ardens in Deum & Divos superis æmula pietas, excubans semper in spirituales filios tuos amor, chara in omnes affabilitas: seu lilium reperio in mentis & affectuum candore, cujus elysius odor miræ vitæ exemplo cunctos reficit: seu Angelum suspicio, illum quidem Cherubinum Paradisi custodem, cui ignitò virtutis & sapientiæ gladiò, flammâ charitatis in vigila. Hanc virtutis & sapientiæ conjunctionem dum amas, in Te ipso præclaro nexu colligatam exhibes. His nempe sub nutricibus teneram traduxisti ætatem, his Ducibus adolevisti feliciter; has individuas comites, & agendarum rerum administras proveciori in ætate assumpsisti; his quasi binis astris illustraris ad gloriam; his velut binis alis ad maxima Nominis & Ordinis Tui decora eveberis. Nisi erubesceres, quod virtuti tuæ proprium est, avidæ eloquentiæ fræna laxarem in recensendis laudibus Tuis. Hoc non addere non possum, quòd Te Zelosissima virtus Tua, rarus Amor Similiorem effecerit JOANNI, cujus gloria in triumphanti Patria Te comitabitur. Hinc quo jure attentaverim hoc leve folium Tuis manibus consecrare, præterquam, quòd semper Tuus fuerim & esse contenderim, nemo non videt. Interea, dum Tibi felices in seram ætatem olympiades precor, precor quoque, ut me devotum Tui cultorem posthac admittas, & propitio mihi MELCHIORIS sidere affulgeas, qui sum*

Reverendissimæ, Perillustris, ac Amplissimæ
Dominationis Tuæ

Humillimus Orator.



ORATIO.

Roma! augusta Roma! Joannes Heros victrici tibi venit triumphalis in quadriga, attolle portas; virtute duce vehitur & amore, adorna laureas; gloria comite graditur & honore, nocte oleas, plausibili tubâ excipe triumphantem. *Reverendissime, Perillustris, Amplissime, ac Magnifice Domine Rector, Admodum Reverende ac Clarissime Pater, Inchyta Facultatis Theologicae Decane spectabilis, Senatus populisque Academicæ.* Et certe, si elephantibus olim invexisti Pompejum, inter Senatus populisque Romani tripudia, ubi Macedonio robore potens Domitor Africæ inter Martia redux rrophæa exultavit: hodie cum primis assurge in applausus Quirinales, currus junge triumphales, ubi virtute desuper indutus naturæ elementorumque Dominator JOANNES fortunatum de impietate, omnique tyrannide vesani furoris ducit triumphum. Si adhuc magistra erroris soli astrorum Domino obeliscum dedicasti, postquam Octavianus Augustus victricibus armis Ægyptum, & omnem, quam latè Nilus fecundat cum incola terram Triumvirali potestati subjecit: Nunc discipula veritatis Diviniori Doctorum soli, siderumque, quotquot etiam sub Zodiaco clarissimæ sapientiæ certant, Principi colossos extrue, dum ferocientem tyranni rabiem, ignis oleisque ferventis atrociam suæ fecit virtuti humilem, suæ gloriæ vectigalem. Si quondam magnificum honoris arcum magno erexisti Constantino, quando Herculeâ dextera arrogantem ethnici Maxentii exercitum prostravit, urbem liberavit, pacem fidemque fundavit: hodie festina vermiculatas in cælum aciere pyramides JOANNI victori maximo, dum inauditò hæctenus prodigiò sacrilegum devicit Domitianum. Si denique unquam Romanorum Cæsarum gaudens suspexisti triumphos, hodie in tributarios plausus abi JOANNI triumphanti. Jam nuncia fama binis resona buccinis clamat per orbem: JOANNES portam latinam sibi suoque nomini sacravit triumphalem, hodiernam diem suis laudibus constituit obsequiosam. Non ergo ultra quæritote, quis ille, quem festivus hic superbientis Basilicæ excipit apparatus? quis, cui ad vocem æris clangentis insignis sapientum corona regali inservit in purpura? nec mihi amplius molestus obmurmuro, quis ille, cui cantantibus tubis

sine mora evocor encomiaſtes? quod vobis Orpheo magè gratum in
 aure, in ore mihi ambroſium fanè nomen eſt, JOANNES, Diſcipulus
 Domini dilectus, Virgo, Apoſtolus, Evangeliſta, Doctòr, Martyr,
 JOANNES. Verùm, què ego hodiernus Orator tanto triumpho fa-
 cundus applaudam, qui omnes altò ſilentiò tenet attonitos ac clin-
 gues? quam politiè ſuadæ palæſtris oratores conſuetudinem ſervave-
 runt tanquam primam legem, ut in magnis, altisque cauſis ſibi à Diis
 precarentur concedi orationem ex intimo promptam artificio, vel Ci-
 ceronis conſperſam Floribus ad demulcendas ſuaviter audientium au-
 res, vel Demotheſis vincitã nervis, ad perfringendos pondere quo-
 piam eorum animos; eandem ego hodie coram vobis in hac maxima
 cauſa proſequar, eſt neceſſe, &, ut quid afferam ad pompam illuſtran-
 dam texti ſermonis artificii, cum latinis illius libem delicias, hujus
 cum græcis lepores, oportet. Loquerer enim perlibenter, fateor, tuis
 gratulabundus trophæis ſacratiffime Heros; ſed, ne injurius ſim ho-
 nori tuo, angor plurimùm, dum inconcinnâ laude adumbrare audeo
 tui nominis virtutis que magnalia, in quorum præconiis diſertiffima
 Pallas obſtupescit, obmutescit; tacerem conſultiùs humili mente ad-
 mirabundus, ſed, ne injurias ſim honori tuo ac Sacramento, *Inchyta*
Facultas Theologica, alio è latere torqueor, quæ anniversariam hæc-
 nus ſtitiffi eloquentiam JOANNI Tutelari tuo, ac Principi ſolenni ri-
 tu conſecratam, nec Pythagoras hodie exſpectas ſed Tullios; tacerem
 ſane deſperabundus, niſi me individua JOANNINÆ magnitudinis hu-
 militas, quæ nec levibus inſtructum periodis recuſat Oratorem, in lin-
 guas animaffet. Dicam ergo in compendio, brevi dicam elogio, quod
 hodiernus Apoſtoli triumphus eloquitur. Utinam in nuce iliadem,
 laudem in iliade verba facturus darem. Duo quippè vix cogitanti ob-
 viam ſe produunt in JOANNE meis opportuna laudum ſolenniis: vir-
 tus excelsæ vitæ, ingens amor & Zelus, quo igne Diviniſſimi Spiritûs
 ſuccenſus Apoſtolus tumulatâ per Aſiam errorum tot caligine Chri-
 ſti Salvatoris cum nomine fidei lumen in gentilibus accendit, fidelis
 præco quod in aure audivit, ſuper tecta prædicavit; alterum laureata
 Martyris gloria, dum ad ignis tormentum ab impio raptus Domitia-
 no ante latinam Romæ portam è bullientis olei dolio illæſus exivit, &
 purior quam intravit abſcondito à tot ſæculis prodigio. Ego certè,
 dum duo hæc in ſcopum dictionis agitata unâ panegyri aſſequi inten-
 do, JOANNEM Heroëm Romanum virtute duce, gloriâ comite vi-
 ctricis triumphalem in quadriga non tam novus effingo, quam ſtudio-
 ſâ oratione deprehendo. Latere proinde purpurate cætus Sacratæ Mi-
 nervæ, dum per me hodie Tutelarem tuum ac Principem plenâ pom-
 pã ſpectabis triumphalem. Sic non deviat orator, qui, dum alius quon-
 dam hoc è ſuggeſtu amorem, in quem JOANNES degeneravit, in
 theatro, alius verò mox certantem, hodiernus exhibet triumphantem.

Si ergo tuus sum Doctor Sanctissime, Heros gloriosissime, fave tantisper, atque musam tuam eloquentem redde.

Si DEO aded providente hodie vobis aurâ cœlesti afflatus hoc in loco se sisteret Orator quiscunque è cœlo Divus, vel Joannes noster Phœnix oratorum omnium augustus concessam mihi perorandi provinciam occuparet ipse, quam ejus orationem fore existimabitis A. A? tersam concedetis omnes, & ut solet cœlitum, per fluentes ex ore cincinnos eloquentiæ deliciis undique ac divitiis affluentem; dabitis oratorem sublimem Pauli Majestatem, Gregorii amplitudinem, flammam Augustini, Spiritum Ambrosii, energiam Hieronymi, puritatem Chrysostomi, cothurnas Basilii, mellificia Bernardi unô temporis punctulô exprimentem; sed tam tersæ orationis quem scopum designabitis? tam divâ litteraturâ tinctus orator quò potissimum collimabit? quid primùm eloquetur? an vobis fortè JOANNINÆ facundix prædicaret veneres, doctrinæ nervos, laureolam virginitatis, amoris excellentiam, sanctimonix palmam, humilitatis argumenta? nullo arbitror horum, sed unam Apostolatûs sui Zelosam virtutem triumpho ducem, & comitem sui martyrii gloriam ad stuporem omnium divulgaret. Tenuis ego Cœlestis hujus oratoris Echo idem licet non pari decore sed inter verborum angustias artisque perexiguos cancellos in laudem Apostoli concinnare duxi. Quod, dum aggredior, animadverto in duas partes divisam ire dictionem; quare, ut suo singula ordine prosequamur, inde felix exordium sermo institutus ducat, unde gloriosum JOANNES orsus est triumphum. Virtute Duce triumphat Heros; nam virtus Apostolum ad martyrium, martyrem duxit ad triumphum. *Æ*quor subiret irremeabile tenuis eloquentiæ cymba, si cunctas hic vellem scrutari virtutes, quæ animum JOANNIS exornant, flammam Mosaici rubi adirem, si cunctos vellem rimari amores, quibus in amore incomparabilis hic Apostolus exarsit. Non me vel ided perorantem allicit intemeratæ virginitatis sanctimonia, quæ Apostolorum cæterorum prærogativas immortalis lauro transcendit, velut Olympus fastigiatos reliquorum montium vertices supergreditur: nimirum singulari castimonix dono ornatus Angelico sese connubio virginitati desponsavit. Lubens involvo silenti præconio æstus illius charitatis, quos in magistrum dilectus discipulus retorfit; videbatur certè cum ipso casti amoris Authore certare, quando in illum crebriora redamantis præcordii spicula ex interni abundantia incendii vibravit, quàm Sicilia *Æ*tna flammaram globos ætheri intorquet: in hoc quoque superavit condiscipulos omnes, quodd, ubi hi gloriæ magistri adstitere tantum, ille unus ad majora prognatus patienti compati, morienti commori ibat: verè discipulus diligens Christum tantâ amoris constantiâ stetit cum Virgine ad crucem solus, quantâ levitate à cruce fugerunt reliqui; qui nempe cænantis recumbens in

pectus libavit dulcédines, morientis in cruce voluit totis sensibus haurire dolores. Illum virgineum pariter in Virginem affectum filialem in Matrem pietatem prætereo, aliisque sexcentis superfedet oratio, & illam duntaxat spectat virtutis magnitudinem, vim amoris, Zelum illum Apostoli, quo post gloriosum ascendens Domini super astra triumphum Asiam peragravit, gentes convertit. Delituit quidem abeunte Magistro aliquantum Solymæa in urbe Judæorum metu duodenarius fidelium manipulus, & sanguinolentas adhuc innocuo Cruore Paschalis agni horruit carnificum manus pusillus grex collegiatæ pietatis; ast Divino intonante Spiritu ignitas solvitur in linguas, audaces animatur in pugnas, suæ unusquisque prodigus vitæ tuba salvificæ fidei remotas personat terrarum plagas, Evangelicæ præco veritatis alium orbem metitur, novus Prometheus felicia incendia machinatur. Juratum est! seu ubi matutinis aurora radiis montes Eoos pingit, seu ubi Titan in sinu Hesperio reclinus ab orbe fugit, & quâ Auster imbribus rigat humum, & quâ Aquilo turbine indurat aquas, Divini gloria excelsa nominis dominabitur. Seu mundus, seu orcus arma rotet, unus contra audacior ibit. Te ter felicem Asiam, quæ sorte Divinâ nacta es Joannem! hunc unum, dum amplecteris, te ipsâ dignior es; fidus tibi illuxit soli propinquius. Ænigma transit in veritatem, ficta Pompeji potentia in virtutem magnanimam JOANNIS: delirabat ille, nescio quâ Plejade seductus, si terram pede semel concusserit, mundum facile commovebit; Hic vix Apostolico pede Asiam tetigit, gentesque verbo concussit, ipsa tartara comovit, seu inania Deorum simulacra in stygias paludes detrusit. Prælusit dudum huic divino discipulo sacra sapientia, dum septem fortè columnis domum fabricavit septem inquam prælusit ecclesiis, insignibus illis templorum pinnaculis, quæ fecit stare per Asiam, & loqui veri gloriam DEI, nobilitate suâ reliquarum per oras illas domorum fastigiis, aularum profanis propylæis, aut Dædaleâ arte constructis penatibus magnificentiora. Liceat mihi hic Joannem cum JOANNE conferre, Baptistam & Evangelistam simul in medium adducere, ut ex maxima illius laude hujus major resplendeat. Etenim, si magnum quid se putant non ex terra collegisse, sed dedrompsisse è cælo oratores illi, qui, dum Baptistæ laudes in orationis suæ ornatu tanquam insignia quædam ac lumina disponunt, depingunt ut Phosphorum solem, sic Baptistam anteivisse Christum, in quem non veluti digito Astrologus, sed tanquam Angelus vocis buccinâ mundi totius oculos, mentem, admirationem convertit. Fuit, semperque manet, non inficior, hæc quidem laus magna Baptistæ, atque haud scio an maxima, nisi & illa fortasse videatur Evangelistæ nostri non minor, quodd sicut Hesperus solem, ita hic sequatur Christum, tantò majori utilitate mundi, quantò fuit re majus, & opere difficilior veritatem veluti solem conservasse mundo, in Judæorum

dæorum ac gentilium Messiam hostiliter persequentium tenebris, quàm veritatem tanquam solem indicasse mundo, in Judæorum Messiam avidè expectantium crepusculo. Sit ergò Baptistæ laus non minima fuisse Christi Phosphorum, sed talem in Solis jam se exerentis prima luce obscuriorem, minúsque commodum; modò maximus laudis fructus impertiatur Evangelistæ, fuisse illum Christo Hesperum, sed talem in Solis caput suum tumultò tanquam nube condentis obscuritate teterrima lucidissimum, orbique proficuum; qui in lucis extincto lumine mundo lucem prætulit, & vitæ, in lætiferis necessariam; & viæ, in sinuosis certam; & verbi, in dubiis veram; & DEI, in tenebricosis maximam. Eloquens laudis campus universa Asia, tūque cum primis superba Metropolis Ephesina civitas, ubi velut ad clavum sedens Joannes toti Asiæ dominabatur. Revertere, revolve tempora, mores recogita, te ipsam cum Narcisso inspice, & ut ut cum eodem mutata es, adverte. Dixissem te prius inhospitam solitudinem, sylvestrium parentem fœcundam ferarum; nunc te amœnum. Paradisum cœlestibus irrigatam fluentis, sedem gratiarum suspiciogentem mendicam te quondam deplorassem, modò ditiozem non video, dum thesaurum contines, quo preciosiorem orbis non habet. An non cœlestem illam doctrinam, quam de pectore Magistri dilectus hausit discipulus, pleno ore ab hoc fonte suxisti? quis in te detriumphavit vanò turgidos ingeniò Philosophos, repressit arrogantes idololatrias, temeraria avertit superstitionum deliria, sacrilegos funeravit religionum cultus, templa Dianæ diruit, falsosque Deos feliciori Gigantum strage è finibus Asiæ deturbavit, & ut monstra nefanda infumantes Tænari caminos relegavit? quis lampadem fidei accendit, vexilla Christi expandit, unum verum Numen manifestavit adorandum? non alius, quam gloriosissimus Apostolus tuus JOANNES, Si Circes olim (sit fides penes Poëtas) lactuosa rerum facie homines in belluas solis versibus mutare novit; sanctiori JOANNES metamorphosi ex brutis homines, ex hominibus Angelos potenti verbi virtute efformavit. Igitur bene gratâ camœnâ canis: O Apostolum Divinum! O Discipulum veritatis genuinum!

Verùm, dum pacificas mecum laudes promere Asia meditatur JOANNI, ut orbis oraculum & mundi melioris principium per orbem audiat; in arma fulmineo minax gradivo assurgit Roma, & ubi vix innocentum sanguine rubeus ensis Neronis defunctus est, novo Christi adum cruore purpura madere sitit Domitiani. Jam diras minatur piorum cædes & funera, populùmque fidelium truculentò imperio vel ultimam in Thulen proscribere, vel immani nece ferire. Funesta Asiæ Scena! lugubre, sanguineoque lachrymarum torrente detestandum specimen! quanta, proh DEUM immortalem! orbis confusio. En, ut hic minuti cujusdam animi tyro relictò hominum

consortio in sylvas fugitivus & antra, meticolose ferarum latibula
querit propitia salutis asyla; ille horrisono mucronis strepitu exani-
matus cadit; hic satellitum turma attraptus tristes damnatur ad car-
ceres, fustibus maceratur & flagris; ille jucunda caelo victima hasta
lictoris caeditur: grassatur in urbes & oppida Domitianus; nemi-
nem, seu primævo flore vernantem, seu niveo temporum sereno redi-
mitum, vel avitis æris famosis, vel sapientiæ titulis venerandum nisi
humilis ad Jovis aram deprecatio, & sacra in Deos pietas falci sub-
ducit. Obstupescite, quid non audeat effera tyranis! JOANNEM
velut imperii Deorumque hostem novæ magistrum religionis vincit
(non vincula, sed aureas Herculis catenas credite) Romamque in con-
spectum vocat, ut quem nulla syllogisandi argutia, nullus malignæ
Præses scientiæ suavitate potuit debellare, hic tandem minarum pœ-
narumque atrocitate optatam trahat in sententiam. Statutum est:
vel cum Cæsare Diis thura adoleat, vel cum lictoribus in arenam de-
scendat. Ast extra illum nil amat Apostolus, extra quem nil animat;
in Divino DEUM edoctus lyceo, è trunco in Numina migrantia ri-
det per ludibrium cæcæ gentis sculptilia, infernalem Domitiani cul-
tum detestatur, supremæ Majestatis violatæ scelus execratur & inju-
riam. Ergo fremente tyranno ad bullientis olei lebetem damnatur
Apostolus, portam ad latinam ducitur vindices suæ impietatis pœnas
daturus. Heu siste! quid agis scelerate? illumne audes castigan-
dum tradere tortoribus, quem coram electa discipulorum corona fa-
cer præceptor jugi affectu præcepit honorandum? illumne non ver-
reris morti condemnare, quem Divina vitam sinu enutrivit? si san-
guineo orbem diluvio rursus evertere furis, uni parce JOANNI. Sed
quid ego infelix orator crudelem Domitiani vultum placare laboro?
in marpesias ferinus homo medullas obrigit; in mortem trahitur
dilectus discipulus, in mortem atrocissimam: Spumei jamjam oleo
explicantur lebetes, ignis intenditur, fomes subjicitur, acuitur flamma,
triste theatrum apparatus, quale non vidit Agrigentum in Phalaride,
Thracia in Diomede, Ægyptus in Busiride. Exivit hoc illustre
spectaculum, omnem ætatem, ordinem omnem, sexum, senatum
ipsum, ut conflueret, & insolito avida lumina portento compleret.
Non erat, quem tum singularis fama, præcelsa dignitas, veneranda
Apostolicanities, tum tormenti atrocitas, novitasque supplicii ad
hanc lugubrem scenam & tumultuosum facinus non sisteret. Æstu-
antes licet alterno affectuum impetu, prout quemque in favorem ra-
pit amor, vel in odium trahit indignatio, pallent tamen omnes, vul-
tūque attonito terrent; ipsi impietatis satellites violento intra visce-
ra terrore perculli ab impetu crudelitatis revocantur. Unus Joan-
nes modesto quin imò Divini oris arrisu conceptâ quâdam intra præ-
cordia voluptate, animoso gressu conscendit irrequieto motu exhibi-
lans

lans oleum, tot verberibus cæsus, tot vulneribus fauciat, rugatam senio frontem lætus exporrigit. Suffine hæc & humilem oratoris vocem Heros Serenissime, ut te alloquar indulge: quid hoc prodigii? horrent singuli ad barbari facinus, & spem inter ac metum horam tibi supremam illuxisse testantur; tu tamen vultu eodem stas inconcussus? circumstridentis olei procellis intrepido corpore innatas? velut erumpentes erebo furias evocatas undique flammam hilari sinu excipis? ita nempe victoriæ suæ accinit, palmis suis applaudit Martyr: procul à facie ejus tristes Næniæ & querimoniæ, procul à mente amarosi singultus, procul ab ore lamentabilis Echo: indepta prospicit frontis serenitas, fervet adhuc ingens animi vigor, amæna camæna adhuc labiis insidet. En! attendite omnes, loquitur JOANNES: Hæcne tot cordibus sollicitata dies, quâ inquietus amor dulcis mortis compendio transibit in amatum? an hic optatus campus, qui mihi victricem ad astra collem sternet? hæcne adamata *quadrige*, quâ applaudentibus superis invehar in æternaturæ palatia? si suam Achaja Andream, Judæa Matthiam, Cyprus Barnabam, Æthiopia Matthæum, Phrygia Philippum, Armenia Bartholomæum, Hierosolyma Jacobos, Persis Chananæum & Thadæum, Roma Petrum & Paulum martyrii laureâ coronavit; perge & tuum Roma JOANNEM jugulare, & auspiciatam in me coronam generosâ morte confectam impone vertici: quoad moraris dilecte? cur tuum promittis calicem, si sic contra ipsa elementa tuum defendis amantem? moriar! ac grata spectanti Numini hostia circumtonantium flammarum rabie suffocatus cadam; tandèmq; aliis amara mors, dum cuncta separat, mihi nectare suavior totum jungat amato. Verùm, quid ad hæc recipiabit cælum? annuèntne desideranti? an Adonidem suum contra ignis assultum sibi DEUS non servabit? an Pharus hæc in medio mari tumultuantis olei extinguetur? an Arcam fœderati amoris concitata tyranni tempestas demerget? minimè; aliter de JOANNE consultum est. Alter Antæus omine fortior post lapsum, post tormenta vegetior surget. Quid enim? (reclamantem audire mihi videor in nube dilectum) si ardens Babylonis machina sulphureis orci rogis æmula candidis pepercit trium puerorum stolis, quos superstiosi Regis indignatio superbissima nefando scelere flammis dedit devorandos: an Quirinalis pyra audebit nocere integro vitæ scelerisque puro JOANNI, quem impudentissimus omnium Domitianus stupendo sacrilegio igni obtulit absorbendum? quâ fieri poterit, ut simile agat in simile, ignis ignem devoret, flamma comburat flammam, oleum incendium demerget JOANNEM? ignis est ipso nomine *Boanergis*, quo non sine mysterio futurorum præfago filius tonitru, hebraicè fulmen compellatus fuit à magistro; non ergò ignis ignem extinguet; nec igni sunt ligna supplicio, augentur vires, dum putan-

tur extingui, sylvas in struem JOANNES exoptet. Flamma est, quid dicam Ætna amoris ingentia referens secum incendia; non ergo flamma nocebit flammæ; nec oleum triste excidium sed novæ vitæ pabulum Martyri est. Aurum est, quo purius Olympus non parturit; non ergo in camino ignis consumitur, sed virtute & splendore duplicato perficitur. Adamas est è nobili gemmarum familia, rutilans Princeps, è pretiosa pugilum Christi corona Dux fortissimus: non ergo in manu Vulcani liquefcet, sed in veterem solidabitur adamantem. Audistis jucundum certamen inter Romanum Martyrem & spectatorem DEUM, vidistis inveteratam tyranni immanitatem, prodigiosam Apostoli constantiam suspexistis. En, juravit Cœlum in verba Magistri: *non moritur discipulus ille, sed sic eum volo manere* in mediis succensi olei fluctibus illæsum, inter flammaram turbines innubem. Fiat aurum, per me licet, quidquid Mydas tetigerit, fiat rosa, quidquid Perseus calcaverit; majorem longè Roma miratur JOANNEM: æstus exardescens olei conscendit, & mox in serenum jubet transire Pactolum, super acervatas in lugubri vase prunas ponitur, & in dulce ridentibus Zephyris rosetum emollit. Jam suaves inter favonios advolat felix lætitiæ prodroma, pacis nuncia Noëmitica ales, & quæ quondam superstitem per diuturnas irati firmamenti tempestates virenti oleâ redimivit arcam, hodie inter flammæos nimbos rabidi Domitiani supereminentem Apostoli verticem viridi fronde ambit coronare. Cernite, ut ultrices ejaculatur crudelitatis flammæ in suos satellites ipse ab omni scintilla immunis JOANNES; magno Jovi similior, qui, dum audax Enceladorum turba congestis montibus alta Cœli pergama perfringere, & terrificis ululatibus augusta suis è sedibus Numina deturbare assurgerent, inauditam gigantæ temeritatis insolentiam trifulco potens fulmine percussit, vim vi superans vindices montes scelestos detrussit in vertices, *revolutaque tela vertit in Authores*: pari Majestate JOANNES concitatis in se flammis temeros exurit lictores, hostes suos incinerat, & qui audebant pyras contra Martyrem armare incendiis, propriis armis necati nefas lucunt. Dicite modo:

Divisum Imperium cum Jove Martyr habet;

Dicite: rectè taurus, quem crudeli ingenio ad torquendos Athenienses elaboravit Perillus, suum primus interfecit Artificem; & ro- gus, quem tortores ad JOANNEM perimendum extruxere, suos crudelis maçtavit opifices. Velut sponsus progreditur suo è dolio (exi- te obviam ei Mæonides) vi ignis oleique adempta lætatur illæsus; so- lem mundi sidus imitatus, quem, si observastis aliquando aurato fyr- mate non solum per deliciosas Chloridis hortos, sed etiam per vada lacusque & abjecta fimeta spatiantem, inde tamen adhuc illustrem si- ne jactura decoris nec minori cum luce revertentem: in eo gloriam festi-

festivam JOANNIS conspiciate, è probroso stagno veteri vigore membrorum, novæ pompæ coronario termite redeuntis. Plaudit supra Cœlum insignitubâ, omnisque civis supernæ regîæ, gestientes mirâ lætitiâ fideles victorem excipiunt Apostolum, horrore metûque tabescunt pagani, fremit, totóque corpore vindictam spirat iniquâ spe delusus Domitianus. O Apostolum plusquam gloriosum! O Martyrem Heroëm verè Romanum! O triumphum laureatum! abeant in umbras modò tot Heroum à profano hoste partæ victoriæ, ibique pro inani terrenæ laudis monumento suam emendent æstimationem dum JOANNES hodie pugil fidei celeberrimus confuso Domitiano tormentisque exantlatis agens triumphum ipsa sidera suis laureis imperat facunda. Alieno marte ac varia arte suas illi elaboravere coronas, suas celebravere pompas; hic sanctiori ingenio, virtute propriâ immortales suæ gloriæ palmas confecit. Virtutes illorum sine nævo sine vitis non transcripsit fama posteritati, hujus fortitudinem incorruptâ laude æternitati commendavit. Vicisti Heros gloriosissime! vicisti! tuis pompis ipse hostis acclamat, qui, dum de tyrannide sua laurum reportare speravit, virtuti tui cessit in heroam prædam devictus. Trophæis tuis Roma applaudit, & dum te suum in Virtute Apostolum, in fortitudine Martyrem, in triumpho Heroëm venerabilis superciliis suspicit, laureatam excrevit in Daphnidem, frondibus æternum speciosis decoram. Vicisti! Heros Romanus quadrigæ infides triumphali, dum Martyr hæres in dolio invictus, quadrigæ auro gemmisque adornatæ; quali nec insedit Phaëton, quando paterno solis curru aurigabat per æthera; quam nec Pompejus conscendere meruit, quando post domitam Africam Victor invexit; nec Alexandrina Philosopha attigit, quando Maximino exarmato triumphali stetit in rota. Jam te tuæ Dux quadrigæ virtus exspectat, gloria lætatur comes, abi laureatus, invehe in Pathmum. Comitemur & nos Heroëm JOANNINI individui testes triumphi, tristémque à frontibus nubem inter rediviva Júbila abstergamus, quam latinam ante portam tempestas concitata invexit. Gloriatur quidem adhuc Domitianus, atque hoc suorum lenimen dolorum jactat, quod Martyrem in Pathmum delegaverit; sibi que blanditur, existimans in hoc aliquod honoris punctum tulisse, quasi cum Augusto Nasonem in exilium fugassét: sed totò cœlò fallit; quia JOANNES in Pathmo non veluti in supplicioso deserto ac sylvestri Satyrum specu exulat, sed tanquam in refertissimo Divinarum voluptatum suburbano cum superis elyfos ducit dies, cum cælitibus delicias dividit, suoque triumpho famulos jungit cœli favores. Decebat nempe DEUM, ut, quem sibi ab injuria temporum servavit integrum, ancillantibus ubertatis suæ gaudiis in terris bearet. Hæc, ut sibi traxit in obsequium Heroum sub sole perfecere triumphum. Triumphat quippe JOANNES

in vita, virtute duce, gloria comite, cœli favore famulante. Quæ tamen gaudia, quos cœli favores, si ultra prosequar, prout jure sibi vendicat oratio, quis modum, quis finem panegyri imponet? veniam ergo dabitur A.A. si me ab innumeris eripiam, & in uno ceterò quin differam. Fortunata insula! in qua DEUS JOANNEM, Magister Discipulum Divini Principem sapientiæ creavit, quando singulari favore supergressis naturæ limitibus ipsum rerum omnium principium Divinissimum Verbum intelligentia adire concessit, non aliter quam aquilam alicum Principem constituit, quando inconnivis oculis radiosum solis vultum cominus intueri indulgit. Principem sanè tuum *Inclita Facultas Theologica* vel idè depromit sacra facundia magni Aurelii Augustini, à quo referatum est, quidquid de Divinitate audimus: Principem adorat insignis in purpura Hieronymus, qui infinitam illam mysteriorum decempadem & abyssum altissimam Divinæ providentiæ descripsit Apocalypsin, quem perscrutando altissima quæque Ecclesiæ ingenia sine Spiritu JOANNIS sisyphæos volvunt labores: Principem divulgat aurea tuba Chrysostomi, à quo ipsa Angelica acies, & doctissima cœlitum cohors novos scientiæ radios derivavit: Principem veneratur celebratus Origenes, qui mundum, visibilibus omnium profundam seriem, se ipsum superans primam facti causam conscendit, viditque Verbum, per quod facta sunt omnia: Principem denique ipsa hodie testaris, *Inclita Facultas Theologica*, dum fascēs tuos & scepra, lauros & purpuram sacris ejusdem tholis appendis; nec enim sapiens quis audit, cujus dilectus hic discipulus non audiat primus Magister.

Abrumpo stylum: & ex iis, per quæ decurrebat oratio, brevis licèt non sine pondere conclusio: tantus erat triumphus JOANNIS. Hic si elinguem penitus & omnis fuci nescium facunda in labia distinguit, si disertam intra jucundam rerum dicendarum copiam absorbet; quid mirum, quòd totum meum in sui panegyrum traxerit oratorem, alios tamen tot tantòsque relinquat. Complacet sibi, ut adverto, in hodierna laudis epitomè JOANNES, ex qua non amplius JOANNES in dolio Romæ ante portam latinam, sed *Heros Romanus virtute Duce, gloria comite* victrici triumphalis in quadriga in omnium memoria insigniri, in ore cupit circumferri. Si ita, bene est, gratulor forti meæ, vosque ultra ad applausus invito A.A. tuæ tamen magè magisque forti gratulor & nomini *Inclita Facultas Theologica*, quæ tanti Heròis gaudes subsidio, tanti Principis gloriaris Tutelâ. Quantus ille sit, Incarnata Sapiencia sat demonstravit in terris, dum unum hunc Divino enutrivit in gremio, sui obtutus centrum habuit, sui cordis amabilem metam. Sed & confidens dexteræ Patris condecoravit ubertim, quando tantorum fecit Authorem prodigiorum, tam gloriosâ quadrigâ triumphalem. Quid enim? ipso

nomine

nomina grande vehit prodigium JOANNES , quanto (testor vos omnes , ad quos sermo meus pervenit) virtus ejus stat subnixā miraculo ? quantum Divinitatis ex ejus actibus eruitur ? Vnico VERBO , quod visum descripsit , ingenia exuberant . Tibi proinde Heros gloriosissime , Princeps sapientissime hanc grati honoris consecro devotam periodum ; at non ego tantum , sed multis affectibus , unā voce singuli quorum humeros purpurea chlamys coram erexit , optime gnari , per te omnia , quæ pie ardescimus , promptè nos adepturos . Ego enim (nec mihi quem dissonum video) postremò arbitror , DEUM Opt. Max. qui in Sanctis suis præludit , cum Divo Eduardo sic statuisset , ut quidquid in nomine JOANNIS ab eo petatur , fausto omine largis manibus festinus donet , deneget nunquam . Surgite , quæso , petite , nomen JOANNIS invocate . Sed , quæ vobis in veneratione prima est , sit prior in votis , in affectu maxima Augustissima Domus Austriaca ; Heu ! quid tristes Manes , quos serenæ alioquin purpuræ vestræ peplum caliginosum affixit ? loquuntur communem orbis dolorem in luctuoso Europæi solis occasu JOSEPHI I. proh dira Cæsaris fata ! quis afflictam consolabitur Augustissimam domum ? Scio ; qui solus regnat altissimus , cujus omnipotenti imperio , dum hæctenus per tot sæcula Stetit Maxima , gloriosa , victrix ; illius providentissimo Numine talis in orbe perennabit . Fiet Auspice DEO , ut chara patria ab omni Martis , ac Mortis ense secura quieto temporum postliminio gratas cælo laudum myriades refundat . Fiet JOANNE patrocinate , quemadmodum præ-

D I X I .



patrocinate, quemadmodum pte.
gras celo laudum myriades retinens. Sic JOANNES
omni Mariae ac Moris episcopi quatuor temporum possessoris
catis in orbe peregrabit. Sic Auspice DEO, in orbe peramb
Sicet Maxima, gloria, victix; illius providentissimo
limus, cuius omnipotenti auxilio, dum sacras per eos lauda
confolabitur Augustissimum domum; Scio; quosque regere
solis occurrerit JOSEPHI, I. proh dies Celsis ista! que afflatur
affixis; loquuntur communitatis ordis dolorem in lacrimis
nes, quos tenet aliopun pupure vestre pupura conpignum
maxima Augustissima Donna Austria; Hec, que regit Ma
que vobis in veneratione prima est, in prior in tota, in affectu
quam, surgit, parte, parte, nomea JOANNES investit, sed
petatur, fasso omne largis manibus scilicet dante, deperit in
vo Eduardo sic statuit, in quidam in nomine JOANNIS ob eo
arbitror, DEUM Que Max, qui in sanctis suis exultat, cum Ma
adepurus. Ego enim (ac nisi quem distans vides) profusus
optime erant, per te omnia, que per antecessores, prompte nos
nos voce iniqui quorum auribus pupure dantes coram erant
ero devotum periculum; ac non ego tantum, sed multissimis
ros gloriosissime. Princeps sapientissime hanc per hoc cons
BO, quod vultu deperit, ingenium exultant. Tam grande ho
tasco & quorum Divitibus eius actibus erunt; Vixit MA
omnes, ad quos tanto more pervenit) vultu eius sic subactis
nomina grande velle proclium JOANNES, quanta referat vos

D I X I

